



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Praelatis, & universo Clero in  
Sicilia constitutis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

de cetero inter nos & successores nostros ac vos & heredes vestros super electionibus dissensio suscitetur, modum facienda in posterum electionis praesentibus curavimus literis explicare: in quibus sic in multis regiae serenitati deferimus, ut libertatem ecclesiasticam non laedamus. Sede vacante, Capitulum significabit vobis & vestris heredibus obitumdecessoris. Deinde convenientes in unum, invocata Spiritus sancti gratia, secundum Deum eligent canonice personam idoneam, cui requisitum à vobis prebere debeatis assensum, & electionem factam non different publicare. Electionem verò factam & publicatam denuntiabunt vobis, & vestrum requirent assensum. Sed antequam assensus regius requiratur, non inthronizetur electus, nec decantetur laudis solennitas que inthronizationi videtur annexa, nec antequam auctoritate pontificali fuerit confirmatus, administrationi se ullatenus immiscebbit. Sic enim honori vestro volumus condescendere, ut libertatem canonicae obseruemus, nullo prorsus obstante rescripto quod à sede apostolica fuerit imperatum. Rogamus ergo serenitatem regiam, & attentiùs exhortamur, quatenus contra praescriptam electionis formam nec vos veniatis de cetero, nec cogatis alios nec patiamini qualibet occasione venire: sed taliter in hoc nobis studeatis & ecclesiasticae libertati deferre, ut timorem ejus habere præ oculis videamini per quem Reges regnant & Principes dominantur, & sponsam ejus Ecclesiam venerari. Nulli ergo &c. hanc paginam nostrae dispositionis & constitutionis &c. Datum Laterani.

*ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIIS,  
& aliis Ecclesiarum Prælatis, & universo  
Clero in Sicilia constitutis.*

Epi. 412.  
Ejusdem arg.  
metu cum epistola preceden-  
ti.

**S**i carissimæ in Christo filiæ nostræ Constanciæ Imperatrici Reginæ unà cum carissimo filio Illustri Rege Siciliæ in multis gratiam facimus specialem, non est ab aliquibus in admirationemducendum, cum regnum Siciliæ ad jus & proprietatem Ecclesiarum Romanarum pertineat, & in ejus fidelitate perfisterit, ac permanerit unitate. Nostis etenim qualiter inclytæ recordationis R. Vv. & Vv. Siciliæ Reges illustres in apostolicæ devotionis ferè semper permanerint firmitate, qualiter prædecessores nostros

fuerint humiliter venerati, qualiter etiā in Ecclesia Rom. post Deum suæ spei posuerint & gaudij fundamentum, & in ea & per eam se crediderint exaltari. Nostis etiam qualiter prædecessores nostri Romani Pontifices Reges ipsos ac regnum Siciliæ quadam semper prærogativa dilexerint, & ad augmentum ipsius, ut pote quod peculiare, sicut est, & proprium reputabant, intenderint & quietem. Quia verò quantumcunque velimus eorum honori deferre, libertatem canonicam & honestatem ecclesiasticam intendimus observare. Ne igitur ultra de cetero inter nos & successores nostros & prædictam Imperatricem & filiū ejus Siciliæ Regem illustrem vel heredes eorum super electionibus denuo dissensio suscitetur, quæ haec tenus inter Ecclesiam & regnum rancoris cuiusdam & indignationis fomitem ministrabant, modum facienda in posterum electionis praesentibus curavimus literis explicare: in quibus sic regiae serenitati deferimus, ut libertatem ecclesiasticam non laedamus. Sede vacante significabit Capitulum eis & eorum heredibus obitum predecessoris &c. usque ad verbum immiscebbit. Ideoque universitati vestrae per apostolica scripta mandamus, & districte præcipimus, quatenus cùm aliquam Ecclesiarum vestiarum pastore vacare contingit, secundum praescriptam electionis formam, omni gratia & timore positis, procedatis, nec contra eam aliqua præsumatis occasione venire. Alioquin electiones taliter factas diligent discussione præhabita dante Domino infirmare curabimus, & eligentium transgressionem animadversione debita castigare. Volumus etiam nihilominus & mandamus ut de cetero ad Rom. Ecclesiam liberè, cùm opus fuerit, appelleatis, & interpositis ad nos appellationibus cureris humiliter & devotè deferre. Nos etiam, quoties necessitas postulaverit, apost. sedis Legatos ad vos curabimus destinare, qui quæ plantanda sunt plantent, & evellant quæ fuerint evellenda, quorum obediatis monitis & præceptis. Nullo prorsus in omnibus praescriptis capitulis obstante privilegio, vel rescripto, quod à sede apostolica fuerit imperatum. Ut autem quæ praescripta sunt, apud vos nulla possint oblivione deleri, mandamus atque præcipimus quatenus forma literarum istarum ad perpetuam

Hh ij

memoriam in majoribus Ecclesiis transcripta servetur.

*In eundem modum Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, & universo Clero in Apulia constituto.*

*ARCHIEPISCOPI, EPISCOPI, Abbatibus, Prioribus, & universis Ecclesiarum Prelatis in Sicilia constitutis.*

*Epist. 43.  
Vt Legato apostolico obtemperent, & piam illius voluntatem adjuvent.*

**P**Ersecutionis olim olla succensa, dum flantis rabies aquilonis Calabros montes novo deiceret terrae motu, & per plana jacentis Apuliae pulverem in transeuntium & habitantium oculos suo turbine fuscitaret, dum etiam Taurominiana Charybdis sanguinem, quem tempore pacato sitiverat, evomeret cedibus satiata, usque adeo fuit iter maris & terrae praeclsum, ut interjacensis impetus tempestatis mutuum matris ad filios & filiorum ad matrem impediret effectum, & naturalis effectum interciperet caritatis. Nunc autem cum eo faciente nobiscum signum in bonum cui venti & mare obediunt, nascentis austri clementia cadentis fugaverit impetum aquilonis, & praeteritae turbationis caliginem aeris per Dei gratiam jam ex maiori parte placati claritas serenaverit, ita quod regnum Siciliae reparatum in statum felicitatis antiquae ad devotionem Ecclesia plene redierit, a qua visum fuerat persecutionis tempore recessisse, beneficium ei volumus gratae visitationis impendere, ac in dilectione ipsius praedecefforum nostrorum vestigis adhaerere. Cum autem ipsum inter universas orbis provincias tanquam Ecclesia patrimonium specialiter diligamus, volentes mentis effectum, quem circa ipsum gerimus, ostendere pleniis in persona Legati, eum illuc de fratribus nostrorum consilio duximus destinandum quem inter ceteros fratres nostros speciali caritate diligimus, & benevolentia singulare ejus exigentibus meritis amplexamur. Sancte cum adhuc in regno ipso remanserint vestigia quedam dissensionis antiquae, talem & tantam personam hujus legationis officio duximus deputandam, quae auctoritate praemineat, polleat honestate, & in opere & sermone sit potens, & ex eo quod gratiam nostram pleniis obtinet, & nostram novit melius voluntatem, eos qui pacem regni turbare forsitan moliuntur, liberius com-

primere possit, & universum regnum in carissimam in Christo filiam nostram Constantiam Imperatricis Reginam ac filij eius Friderici Siciliae Regis illustris fidelitate pariter & obsequio stabilire, contumaciam deprimens superborum, & colla sublimium commissa sibi potestate conculcans. Venerabilem igitur fratrem nostrum Octavianum Hostien. Episcopum, apost. sedis Legatum, virum providum & honestum, qui ob gratiam familiaritatis & dilectionis antiquae ac suae dignitatis intuitu primum inter fratres nostros apud nos locum meruit obtinere, in regnum Siciliae duximus destinandum: qui juxta verbum propheticum dissipet & evellat quae noverit evellenda, & adficet & plantet quae cognoverit esse plantanda, vos etiam de benevolentia quam circa predictam Reginam & filium ejus Regem illustrem gerimus, efficiat certiores. Ideoque universitatibus vestras per apost. scripta mandamus & districte praecipimus quatenus predictum Legatum sicut personam nostram, immo nos ipsos in eo recipientes humiliter & devore, & sicut condeceret vos & ipsum, honorificè pertractantes, quae inter vos corrigenda duxerit, seu etiam statuenda, recipiatis humiliter, & inviolabiliter observetis: ita quod nos, qui honorem ejus proprium reputamus, vobis propter eum respondere gratius quasi ex debito teneamur. Scituri quod sententiam quam in contumaces tulerit, ratam habebimus, & faciemus auctore Domino inviolabiliter observari.

*In eundem modum Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, & universis Ecclesiarum Prelatis per regnum Siciliae circa Farum constitutis: ita quod ubi ponitur in regnum Siciliae duximus destinandum, ponatur Legatum in Siciliam & totum regnum duximus destinandum.*

*A. N. NEAPOLITANO  
Archiepiscopo.*

**C**um secundum doctrinam Apostoli non sit conveniens ut unus sit ebrius & alter debeat esurire, nec juxta instituta canonica uni persona tantum debeat redditibus ecclesiasticis assignari unde scrupulofo corde alij moveantur, qui ad dispositionem Pontificis sunt pro personarum meritis dividendi, non sufficimus admirari quod, sicut nostris

*Epist. 44.  
De plenaria  
benevolentia  
restringenda.  
Cap. 3. Cum lo-  
cundim de Gru-  
nam. Di Pra-  
bendis. In Tertia  
Collat.*